Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6330
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

habet accessum, sed arctum, et ingenti fossa et alacri
muro defessum. Tres hic porte sunt, per quas urbem
ingrediaris. In priori vero propugnaculum est, cuius
muri XX pedes latitudinis habent, altitudinis duplum;
machinas belli plurimas, victis hostibus excussasque
civitatibus obtinuerunt, quas in foro ad terrorem
vicine plebis ostentant. Domorum parietes aut lignei
sunt aut lutei, nullo platearum ordine distincte, sed
ad casum posite. Nam sicut olim tentoria passim
locaverunt, sic pro gratia domos erexerunt. Multa tamen illic et
preciosa supellex est, et divitie inter eos plurime sunt.
Multarum enim gentium spolia in unum locum congessere.
Voluerunt hii quidem ecclesie primitive moribus vivere, et
in commune tenebant omnia; fratres se invicem appellabant, et quod uni
deerat, alter subministrabat. Nunc sibi quisque vivit,
et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Omnis fervor
al' cari[?] caritatis omnis imitacio fuit. Sed priores Christi dis
cipuli et qui nascentis ecclesie fundamenta iecerunt, licet
propria prius habebant, fratribus communicabant, nec alienum re
cipiebant nisi sponte et amore Christi donatum. Tha
borite vero hereditates alienas expilabant,
et quod violenta manu rapuerant, hoc tantum in commune dede
runt; nec sic perseverare potuerunt, rediit ad ingenium
avaricie. Iam omnes student et quod rape
ut olim nequeunt, nam latrocinatores sunt, vicinos
timent, lucris inhiant, mercature sordidosque se